

obedientiae remanserit, et eos ut oves errantes ad ovile humi-  
litatis humeris reportare ac summi Dei exemplo in benigniorem  
partem inclinare, habita super his cum praefatis fratribus no-  
stris deliberatione matura, de illorum consilio praefatos Joani-  
nem Mocenigo ducem et tam Rogatorum quam generalis nun-  
cupati Consilii consiliarios, ac Commune Venetiarum universa-  
liter et singulariter singulos eorumdem Consiliorum et Communis  
cives, ac qui exercitus eorum contra civitatem praefatam ferra-  
riensem, immo contra nos et praefatam Ecclesiam providitores  
existunt, et quorum nomina ac cognomina et designationes op-  
portunas pro expressis habemus, cives Venetiarum, nec non qui  
eiusdem exercitus duxor et capitaneus fuit et est, Robertum de  
sancto Severino, omnesque et singulos qui in locis ditionis dicti  
Herculis ducis aliquod gerunt officium, seu immorantur nomine  
eorumdem venetorum et quoscumque alios qui eisdem duci,  
Consiliariis et Communi ad hujusmodi belli prosecutionem praec-  
stant quomodolibet auxilium, consilium vel favorem directe vel  
indirecte, publice vel occulte, eorumque complices et adhaeren-  
tes existunt, cujuscumque status, gradus, ordinis et praeminen-  
tiae sint, ac quacumque dignitate et auctoritate praefulgeant,  
praefata auctoritate hortamur in Domino, requirimus et mone-  
mus, ac ipsis et cuilibet eorum per haec apostolica scripta praec-  
cipiendo mandamus, quatenus infra quindecim dies post afflictio-  
nem praesentium in valvis basilicae principis apostolorum de  
urbe immediate sequentes, quorum quinque pro primo, quinque  
pro secundo, et reliquos quinque pro ultimo et peremptorio ter-  
mino canonica monitione praemissa eis et cuilibet eorum assi-  
gnamus, dux, consiliarii, commune, providitores, capitaneus et  
alii qui pro eis in dictis locis immorantur, a belli hujusmodi  
ulteriore prosecutione et omni hostili incursu in locis ditionis  
dicti Herculis desistant, occupata per eos dicti ducis castra, ter-  
ras et loca quaecumque cum suis juribus et pertinentiis et  
quaecumque alia bona et jura quae dictum Herculem ducem et